



Universitätsbibliothek Paderborn

**Tribunal Poenitentiæ Sev Libri Dvo Prior De Poenitente Ut
Reo Posterior De Confessario Ut Judice**

Stoz, Matthäus

Anno M.DC.LXXXIX.

Epistola Dedicatoria Omnibus & Singulis, Tam Laicis, quàm Clericis,
cujusvis Statûs & Ordinis Suarum tantùm, vel etiam alienarum Animarum
Curam Gerentibus, Suiipsorum aliorúmve Pastoribus. ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-37144



EPISTOLA DEDICATORIA

Omnibus & Singulis,

Tam Laicis, quam Clericis, cuiusvis Statūs & Ordinis Suarum
tantum, vel etiam alienarum Animarum

CURAM GERENTIBUS,

Suijorum aliorumve

P A S T O R I B U S.
FIDELISSIMIS, VIGILANTISSIMIS
Salutem sempiternam

J. S. S. J.

ERectum à Servatore nostro vivorum mortuo-
rumque Iudice (a) TRIBUNAL vobis exhibeo.
Non illud, in quo post exactam mortalitatis
non longam periodum nos omnes oportet
manifestari; (b) sed alterum, in quo Fidelium
adhuc in vita degentium causæ Judicio tractantur arcano.
In illo sedet, cuius oculi tanquam flamma ignis, & de ore
procedit gladius ex utraque parte acutus: (c) in isto Mini-
strum ille suum posuit, de cuius ore non vult, nisi verba vitæ,
lac & mel, vinum lætificans & oleum sanans (d) profluere.
Illud est Iustitiae, ab inexorabili rigore, & irrevocabili sen-

X 2

tentiâ

EPISTOLA DEDICATORIA.

tentiâ tremendum : istud Misericordiæ , placabili suavitate & dulcedine plenum , nulli horrendum , omnibus propitium , animosè amantérque adeundum . Clementiæ & Gratiarum Sedes est , in qua Iudices Leonini terroris nihil habere debent , quia AGNI Vicarios agunt , & QVES esse jubentur etiam in medio luporum . (e)

Unde nemo mirabitur , hîc sibi in fronte STANTIS MATERNAE speciem obiici . Non enim id alio factum est consilio , quàm ut omnes intelligant , Iudices , qui pro hoc Tribunali sedent , paratos stare debere , ut cunctos , quicunque accesserint , maternâ pietate complectantur , iisque amabili benignitate se præbeant , ut dilectissimis filiis dulcissimæ Matres . In SPECULO videre & agnoscere possunt , quòd nemini debeant sui suæq; mentis Imaginem violentâ manu extorquere , sed ultrò duntaxat propositam , velut immissas rerum species , fideliter excipere , & facto potius quàm verbo dicere : **Qualem te invenio , talem te iudico.** Ad LIBELLAM quidem accuratè perpendenda sunt omnia , quæ in Iudicium deducuntur . Sed semper & ubique , Pacis ac Gratiæ Symbolum , OLIVA præponderat . GLADIO , quem lanx altera sustinet , non aliis locus aut usus est , quàm cum vulnus immedicable nullam amplius præter istam admittit curam . Utrumque medius moderatur CHRISTUS , è cruce pendulus ; quia pretiosissimo suo Sanguine , & OLIVÆ pondus ac pretium addit ; & GLADIO virtutem confert persanandi saucios , longè præstantiorem , quàm Pelias hastâ præstítisse fingitur ab antiquitate fabulosa . Eiusdem MEDIATORIS nostri beneficio meritóq; fit

EPISTOLA DEDICATORIA.

fit, ut sicut in terra res judicata fuerit ab homine, ita et
in cælo eadem sententia habeatur immutabilitate rata à
DEO. (f)

Tanta nimis est divini Numinis benignitas, ut CLA-
VES Regni Cælorum hominis potestati committere, & in ma-
nus tradere voluerit, (g) ad aperiendas seras, quibus nostrâ
culpâ nobis ipsis aditum sæpiissimè pessimèque occludimus.
Neque uni tantum PETRO, eique succedentibus supremis Ec-
clesiæ Capitibus hanc fecisse gratiam, satî erat infinitæ Boni-
tati. Ad alios quoque inferiores Sacerdotes diffusa est; eâ
tamen servatâ debitæ subordinationis ratione, ut ex Clavibus,
quas isti habent, NON QUÆVIS QUAMVIS culpæ seram aperire
valeat, Maiorum scilicet Auctoritati reservatam, nec sine illo-
rum consensu referandam. Quævis tamen ad hoc est apta,
ut aperto culpæ cippo, & disruptâ æternæ pœnæ catastâ strin-
gat reum alio, sed facili temporalis expiationis nexu, IN HAC
VEL ALTERÂ VITÂ integrè persolvendæ; unâque omnia Fori
huius Acta tam firmo concludat, muniátque SIGILLO, ut
NULLI unquam, uspiam, ullo modo sit VIOLABILE. FUMI tan-
tummodo absint, quos supremus rerum Arbiter in sincerita-
tis Iudicio, nec Iudices facere, nec Iudicibus fieri patitur.

Nonnulli videntur sibi nihilominus adhuc videre laten-
tes hîc HASTAS & ENSES, aliâque ad animorum carnificinam
parata, nescio quæ, horrifica tormenta. Sed corrupti vitioso
glaucomate oculi ludibrium est, & pernitiosus malè sanæ
mentis error. Ut pro bono tuo, ita & pro tua ferè volun-
tate geruntur omnia. Nemo te accusat; nemo testimoniis

EPISTOLA DEDICATORIA.

gravat. Tute te ipsum, ut recta tibi ratio dictat, reum facis; &, quod in nullo Tribunali permittitur, ipse pro te testis, patronus, pene dixerim, & Judicistui Assessor esse potes, omnibus in tua favorem cedentibus. Ad condemnandum nihil, omnia ad absolvendum te spectant. Solus cum solo forum implet; nec invito te quidquam ad aliorum perveniet aures, Judice plus quam Samiā lege ad aeternum silentium obligato. In Capite si quid SPINOSUM promicat, nil movearis. Mox enim, cum ausus fueris experiri, meras esse ROSAS videbis, quae mentem fœtentibus vitiorum fôrdibus purgatam cœlesti gratiarum odore complebunt, mirificè suavissimeque recreabunt. Eâ igitur animi alacritate conscientiae tuæ latebras omnes excute, quâ Venatores solent sylvas & ferarum lustra. IN D A G I N E F A C T â quidquid mali deprehenderis, necesse non est, ut in publicum protrahas; satis erit, si tantum arcanissimo TRIBUNALIS hujus Iudicio committas. Nil tamen ibi TIMOR vanus & phanaticus OCCULTET. Explica cordis sinum, intimumq; recessum. Sicut Horologium diei, ita tu vitæ tuæ cursum, vel voce, si potes; vel, si nequis, alio signo, quod vocis instar habet, clare aperteque significa. De graviore autem lapsu ut non leviter doleat, cuivis pronum est, qui sensum necdum omnem amisit. Quod si dolor alicui expellucidis oculorum uvis etiam lacrymas expresserit, tunc enim verò sentiet, non sine maximo suo emolumento, QUAM SUAVE sit DOLERE. Facile quoque rursus in pedes ad feliciorum progressum erigitur, qui manum opitulantis admittit, & salutaria suadenti, ut statuorio statua, PARÉRE PARATUS est;

NON

EPISTOLA DEDICATORIA.

NON ALIUD POSTHAC , quām DEUM Unum & Trinum,
scopum ultimum , sibi proponens , quem ut tandem attin-
gat , vires nervosque omnes SAGITTARI more studiōque in-
tendit . Atque ita AD VESTRAS demum LACRYMAS , quicun-
que illas ad TRIBUNAL PÆNITENTIÆ piè effuderitis , totum
ridebit Cælum , lætóque plausu accinent omnes Angelorum
Chori , quibus ex divino Christi Oraculo maius est gaudi-
um super uno peccatore pœnitentiam agente , quām super
nonaginta novem justis , qui non indigent pœnitentia (b)

Sed hæc cùm ad Vos scribo , erit ex Vobis non nemo , qui
me ipsum ad TRIBUNAL vocet , & non unius piaculi reum
existimet . Inprimis arguet insolentis audacię , quod Opus-
culum , tenue , leviculum munus non horream obtrudere
potiùs Omnibus , quām offerre . Dein superciliosè innuet ,
hoc Seculo , tam docto , quām Novitatis avido , gratiam &
preium non mereri Libros alios , quām qui prodigioso partu
ex Jovis alicujus cætro sint editi . Denique de Argumento
toties à tam multis doctissimis Viris non minus solidè , quām
accuratè excusso , non posse nisi jam trita , & vulgariter spar-
fas notásque paleas proferri , ad nauseam Lectorum . Audio
hæc . Sed audiri & ego antè debeo , quām condemner , si res
agenda sit æquo Iudicio .

Autoribus semper liberum licitumque fuit deligere , cui
suos dedicarent litterarios labores ; neque eundem omnes in
hoc sequi genium constat . Ingeniosus Caramuel eos omnibus
Viris doctissimis sapientissimus Dicastillo (ut Diana saepius eum
honorificè nominat) soli Lectori ; plerique ex Magnatibus uni

) ()

vel

EPISTOLA DEDICATORIA.

vel alteri ; sunt & qui Superis ; sunt quoq; qui nulli inscribunt. Ego itaque pari jure Pœnitentiaæ TRIBUNAL Omnibus & Singulis offero, non ambitione sed necessitate quadam exstimulatus. Præterquam enim, quòd ipse Omnibus esse me debitorem agnoscam , TRIBUNAL hoc à Christo pro Omnibus est institutum , ad quod ipsi quoque stare JUDICES debent, judicandi ab alio ut REI ; siquidem in multis offendimus omnes, ut S. Jacobus (*i*) loquitur, & omnes, Apostolo teste, (*k*) egemus gloriâ DEI, seu gratiâ sanctificante juxta mentem Interpretum. (*l*) Omnibus ergo cùm adeundus sit cum fiducia iste sive Thronus, sive Tribunal gratiæ (*m*) : non possum ego, quod Omnia est, uni vel paucis sine cæterorum injuriâ consignare. Seculi nostratis indolem curiosa & sublimia sectantem nil moror. Curiosa ad Curam , cui servire studio , non pertinent. Ad sublimia difficilis est ascensus ; ægrè vel pauci, nedum omnes, eò enituntur. Sed & trita, cunctisque obvia displicere, ais ? Itane verò ex solo pario marmore, auro, rarique pretii gemmis educenda est omnis fabrica ? Ex tritis quoque lapidibus & obviis non inelegans domus, aptaque potest habitatio construi. Palatum non integrè sanum habet , cui præter peregrina desipiunt alia omnia. Rem ipsam dicam. Antiquis moribus, ut omnes boni optant , vivendum est; ab antiquis ergo morum Regulis discedere non oportet , sed easdem Omnibus in mentem & usum revocare. Quæ à periculis & difficultatibus liberant , gratissima sunt, quando nota sunt & obvia. Quibus autem periculis, quantisque difficultatibus subjecti sint, qui velut REI, vel

ut

EPISTOLA DEDICATORIA.

ut JUDICES in TRIBUNALI Pœnitentiaæ versantur, nemo
facile poterit enarrare. Ad REOS spectat, quod Seraphica
Virgo Theresia censuit, non alio nimis laqueo plures à diabolo ad
sempiternum exitium animas pertrahi, quam malè vitiatis confessionibus.
JUDICIBUS autem in foro interno, sicut de aliis in externo
Justinianus Imp. loquitur, (n) magis quam Reis terribile est Judi-
cium. Attendum est illis, ne contra Iudicem (DEUM)
judicent, (o) & in quo alios judicant, se ipsos condemnent.
(p) Divina Sapientia quemlibet ad cautelam monens: Noli
quætere, inquit, (q) fieri Iudex, nisi valeas virtute irrumpere
iniquitates. Unde S. Gregorius, magnus Ecclesiæ Doctor
& Summus Pontifex, ad illa verba: *Quivis*, inquit *proprias de-*
bet Virtutes perpendere, & pro qualitate virium curam aliorum fuscipe-
re; ne, dum delectatur loco gloriae, fiat (sibi & aliis) autorruinae, &
qui gravatur pondere suarum, velit fieri alienarum Iudex Culparum.
Durum est, ut qui nescit tenere moderamina vita sue, Iudex fiat aliena.
Ars artium est regimen animarum, (r) quæ semper periculo-
sè exercetur, nunquam satis discitur, nunquam satis de ea
dicitur aut scribitur. Quibus denique omnia, quæ conscri-
psimus, jam antè nota sunt, ijs de sua notitia gratulor ex
animo, tantoque magis, si, quæ nōrunt, etiam opere de-
monstrant. Per me, si placet, applicare sibi possunt illud
Regium effatum (s) *Non pro Te, sed pro omnibus hec lex consti-*
tuta est. Noverint autem & illud, quod Pelignus vates oc-
cinit: (t)

*Qui monet, ut facias, quod jam facis, ille monendo
Laudat, & hortatu comprobat acta suo.*

)(2

Ego

EPISTOLA DEDICATORIA.

Ego verò paucis immutatis sic:

*Qui docet, ut facias, quod jam facis ille docendo
Laudat, & hoc ipso comprobat acta tua.*

Summa mei laboris est & voti, in TRIBUNALI Pœnitentiaæ Causas omnium omnes ita agi, ut *condemnari* debeat nemo, *absolvi* meteantur omnes, vel, quod optandum magis, pronuntiari *Innocentes*; dignique habeantur, sicut in terra, ita et in Cælo, ut immarcescibili donentur æternæ Beatitudinis & Cloriæ Corona. Ambergæ, cum advenerunt nobis dies Pœnitentiaæ. Anno CHRISTI M. DC. LXXXIV.

- | | |
|--|---|
| a. <i>Act. 10. v. 42.</i> | l. <i>Cornel. à Lap.</i> |
| b. <i>2. Cor. 5. v. 10.</i> | m. <i>Hebr. 4. v. 16.</i> |
| c. <i>Apoc. 19. v. 12. &c. 15.</i> | n. <i>L. Rem non novam. 14. Cod. de
Judiciis.</i> |
| d. <i>Luc. 70. v. 34.</i> | o. <i>Eccl. 8. v. 17.</i> |
| e. <i>Matth. 10. v. 16.</i> | p. <i>Rom. 2. v. 1.</i> |
| f. <i>Matth. 16. v. 19.</i> | q. <i>Eccl. 7. v. 6.</i> |
| g. <i>Ibid.</i> | r. <i>Cap. Cum sit. 14. de Et. & Qualit.</i> |
| h. <i>Luc. 15. v. 7.</i> | s. <i>Esther. 15. v. 13.</i> |
| i. <i>Jac. 3. v. 2.</i> | t. <i>Ovid. de Tristib.</i> |
| j. <i>Rom. 3. v. 23.</i> | |

Approbatio R. P. Provincialis.

Cum Liber, cui Titulus est: Tribunal Pœnitentiaæ seu Libri duo de Pœnitentiæ Reo, & Confessario ut Judice, Opus posthumum P. Matthæi Stozij Soc. JESU Theologi, opera P. Joannis Stozij fratris germani ex eadem Societate perfectum, & posteriore Libro auctum, à deputatis Patribus lectus, probatusque sit, Ego Eusebius Truchses Societatis JESU per Superiorum Germaniam Præpositus Provincialis, potestate à P. N. Carolo de Noyelle ejusdem Societatis Præposito Generali ad id mihi concessâ, eum typis in lucem vulgari permitto. In cuius rei fidem hoc testimonium chirographo meo, officiique sigillo munitum dedi. Ingolstadtij 22. April. 1683.

Eusebius Truchses.